Wolski Matthiae Augustini: Manipuli Aristotelis Physiologiae.

MANIPVLI ARISTOTELIS PHYSIOLOGIÆ.

Ad Solennitatem GENERALIS CAPITVLI Miechouienſ: Canonicorum Regularium.

SSmi Sepulchri Domini Hieroſolymitani: Publicæ Ventilationi.

PER

V. Fr. MATTHIAM AVGVSTINVM WOLSKI *Philoſophiæ Auditorem, eiuſdemq; Sacri Canonici Ordinis Profeſſum.*

ASSISTENTE SIBI R. P. M. ALBERTO NVCERINO Philoſophiæ Doctore, eiuſdemq; in Conuentu Miech. Profeſſore Ordinario EXPOSITI.

Anno à Partu Virginis M. DC. L. IV. Menſe Octobr. Die vndecima, Hora 2. poſt Merid.

CRACOVIÆ, Apud Lucam Kupiſz S. R. M. Typographum.

IN
SERENISSIMA PRINCIPIS
Insignia.



Desine Custodes AQVILAS, Custode perempto
Mirari: ad sanctum Cracia docta Tuum.
Quando Miechouiano Princeps, dat iura Sepulchro
Regni AQVILA, hunc. Christi protegit Ecce Thronū.

V. Fr. Simeon Káwálczowski Art. & Phil. Bacc.
Conu. Miech. Professus.

AD

SERENISSIMVM POLONIÆ ET SVECIÆ PRINCIPEM

CAROLVM FERDINANDVM

Dei Gratiâ Plocensem, Vratisl:

EPISCOPVM,

DVCEM Opoliensem & Ratiborieñ.

ABBATEM CLARÆ TVMBÆ,

Ordinis Canonicorum Regularium, SS. Sepulchri Domini Hierosolymitani

PRÆPOSITVM GENERALEM.

PRÆFATIO.

ANnus est Princeps Serenissime, ex quo Custodiæ, magni in mundo Thesauri, feliciter Præpositus: supplex Domini adorâsti Sepulchrum. Surgere iterum videbatur Christus, quando lumen Maiestatis Serenissimæ; quamuis non atria Hierusalem: vbi stantes erant pedes nostri: quæ fœda Turcarum polluit barbaries, sed exulantes

à Sepulchro DEI, circumfulſit Præficas. Tunc longa doloris contraximus Syrmata: tunc turpi proiecto ſqualore, nouam Paſchalem induimus lætitiam. Geſtiuimus pridem tantâ Maieſtate, quæ glorioſum hoc in ſcripturis ſepulchrum: aliquando Sereniſſimâ, id eſt Regiâ conueſtiret Purpurâ, & Cuſtodibus eius ereptum: tandem recuperaret theſaurum. Quidni? Licuit ſemper ibi ſpem ponere, vbi perpetuò rident vota, & votis res loquebatur: licet in illum propendere, quem DEVS magnis Orbis ſubmiſit neceſſitatibus; imo quem illa ipſa rerum humanarum Domina Fortuna ſubmiſsè veneratur: vt quocunque deſcenderit, magno ſequatur apparatu. Cùm enim Maieſtas Sereniſſima, vel primùm Baſilicæ noſtræ inferret gradum, cum nondum inferret, iamque præuiâ liberalitate Regiam ad ſepulchrum adornaſſet viam: ita habuimus, veniſſe illa tempora, quibus Othomanica Luna, turpiter ex Ecliptica protruderetur ſua, vt CRVX CHRISTI, cunctis aſtris ſplendidior, iterum Hieroſolymis exaltaretur. Quid prohibet? Non fruſtra tot Epiſcopæ, tot Cathedræ. Præſuleâ Amplitudinis Tuæ Tyarâ, ſceptroque, pedoque gloriantur. Non fruſtra tot Chriſti paupe-

rum

rum Asceteria, Viua Pietatis Tuæ, pro AVGVSTINO, BERNARDO, venerantur insignia; imo tota Sarmatia fame, nuditate, bellis, afflicta de Manipulo Tuo, ceu pauper illa Ruth Moabitis, de agris Boos colligendo spicas quærit solatium. Nimirum felices illi subditi, quibus dextera Tua, dextera virtutum, ad Regnorum sceptra nata, clementissimè potestatem & munificentiam dispensat. Felix resp. cui tantus PRINCEPS pro Maiestate, supra omnium desideria præsidet. Sed hæc quidem loquuntur alij. Nobis quia Sacratissimæ Tuæ purpuræ impertijsti radios, quando receptis à Sepulchro Dei clauibus, fideliores eius prouidisti excubias, quia sic complexus es, vt quidquid ad dignitatem Ordinis nostri Canonici desideraretur, procurâsses, quando diem hanc, quam Sol ipse, publica mundi fax, per annos viginti aliquot non indulserat. Generale in commune Ecclesiæ & Ordinis SSmi bonum, designando Capitulum, pulcherrimè oriri fecisti; quibus Te laudibus efferemus? quâ beneuolentiâ, gratitudine, quibus studijs prosequemur? Non quodcunque os, aut calamus, vocalem meritissimorum Principum gloriam, dicere vel scribere pro Maiestate sufficit. Ecce tamen sepulchrales Musæ, in

ſolennitate anniuerſariæ lætitiæ noſtræ, pro Auguſtiſſimis, diei hodiernæ auſpicijs, dicunt aliquid: quando Frugis Ariſtotelicæ. Tuū SERENISSIME Princeps, humiliter venerabundæ MANIPVLVM, eunt cum exultatione portantes Manipulos ſuos. Patieris Ioſeph innocentiſſime, Tuum Sacratiſſimum, à noſtris Philoſophicis adorari MANIPVLVM, & quidquid noſtris de plenitudine de fuerit, à Regio Tuo mutuentur Manipulo. Ita quod Principis eſt, oſtendes: ita præmetium iſtud Meſsis noſtræ ſub Alas AQVILÆ Tuæ, ceu in ampliſsimum horreū congregabitur; Ita ibis in ſæculorum memoriam, quando ſic viuis, vt Te omnes immortalem eſſe velint. Viue feliciter.

Vouet & precatur
humile ſtudium
Conu. Miech.

MANI-

MANIPVLI PHYSIOLOGIÆ ARISTOTELIS.

I.

PHilosophia Naturalis, rerum Diuinarum ac Humanarum contemplatrix subtilissima, à Rationali, per obiectum reale, à morali perspeculationem distincta, apud Peripateticos, meritò ceu genus per suas species in Phisicam, Mathematicam, & Metaphisicam dispescitur. Eius pars subiectiua in primo abstractionis gradu consistens, Phisiologia nuncupatur; & Ens Mobile (sumpto Ly Mobili radicaliter) in communi spectatum, tanquam obiectum Librorum octo de Phisico auditu, cum Aristotele expendit: sicut Metaphisica Ens quatenus Ens, & Mathematica Ens quantum. Huius principia & passiones in omnibus entibus naturalibus specificis, processu illo, quem ipsa natura docuit, ab vniuersalibus tanquam notioribus, ad minus vniuersalia tanquam ignotiora descendendo, sagacissimè peruestigat.

II.

PRima Entis Mobilis, vt ab Incorruptibili & corruptibili abstrahit principia, perfectissimo numero continentur; & sunt ista, Materia, Forma & Priuatio, quoad Fieri: In facto verò es-

ſe duo, Materia & Forma. Quorum eſſentia optimè explicatur, quod ſint ea, quæ nec ex alterutris, nec alijs, ſed ex illis omnia fiunt. Immutabilitas & contrarietas eaq; prima illis competit, tanquam proprietates.

III.

MAteria prima, pars altera compoſiti naturalis, non tantùm rerum orbe Lunæ contentarum, ſed etiam in tota regione cælorum. in prima rerum molitione, ab Auctore naturæ cum rebus comproductâ, Eſt primum ſubiectum, ex quo aliquid fit, cùm inſit per ſe, & non ſecundū Accidens, in quo omnis mutatio Phiſica, vel mediatè vel immediatè recipitur, ſine quo agens natura nihil poteſt efficere.

IV.

LIcet ſit mutationis ſubiectum, ingenerabilis tamen eſt, & incorruptibilis; quemadmodum incognoſcibilis per ſe, cognoſcibilis tamen per analogiam ad formam, vnde variè à Philoſophis nominatur Chyle, Subiectum, Origo, Maſſa, Elementum, Sylua, Mater, Fæmina, Turpe Chaos.

V.

ETſi verò Materia prima, ſit primum ſubiectum vniuſcuiuſq; rei, non tamen Accidentium corporeorum, quorum ſubiectū vt Quod; eſt totum compoſitum. Diſpoſitiones autem quæcunq; illæ fuerint, non ſubiectantur niſi in ſubiecto, aut corrumpendo aut Genito: neç Accidentia, ſunt eadem numero in corrupto, quæ fuerant in Genito, ſed tantum ſpecie.

VI. Si

VI.

SI essentiam spectemus Materiæ secundum se, est pura potentia etiam Metaphisica, quæ illi in primo modo dicendi competit, reducitur tamen ad Genus substantiæ; comites habet, Priuationem & Appetitum innatum ad formas quidem præsentes, complacentiæ: ad illas quas nondum habuit desiderij; ad semel amissas nullum naturalem.

VII.

ACtus omnis tam Phisicus, quàm Metaphisicus, à Materia prima procul abest. Actus Entitatiuus, quem Subtilis Doctoris Schola tuetur, in Schola Aristotelis, aut nihil est, aut Ens rationis: sicut & sua potentia obiectiua, vnde illæ dimensiones interminatæ, quas in Materia prima aliqui ponunt, manent exclusæ, sed & Actus subsistentiæ in Materia prima nullus est, sicut neque vlla existentia partialis, imò neque per Diuinam potentiam Materia sine forma potest existere; neque tamen hinc, licet inferre Materiam esse nihil.

VIII.

MAteria prima secundum se spectata, non est vna specie, aut numero positiuè, sed tantùm negatiuè: Diuersæ autem est rationis, illa quæ est in cælis, ab ea quæ est in his inferioribus, cui desultoria leuitas in abijciendis & recipiendis formis est adnexa.

IX.

ALtera pars Compositi Naturalis, forma dicitur, quæ est actus primus corporis Natu-

 ralis,

ralis, educiturque è potentia Materiæ, excepta ſola anima rationali, quæ iuxta Auguſtinum infundendo creatur, & creando infunditur: & Formâ Cælorum.

X.

FOrmæ etiam Accidentales omnes, quæ non habent ex Natura ſua neceſſariam concomitantiam & connexionem cum ſubiecto, educuntur de potentia Materiæ; tam naturales quàm ſupernaturales, tam Artificiales, quàm Intentionales.

XI.

EDuctio Formarum non eſt poſſibilitatis Materiæ, in eaſdem conuerſio: vnde formæ neque ſecundum exiſtentiam, neq; ſecundum eſſe imperfectum, neque ſecundum inchoationem præexiſtunt in Materia prima.

XII.

IMplicat, dari plures Formas ſubſtantiales, in eodem compoſito Naturali, eamq; ob cauſam etiam dari negamus formam corporeitatis, in compoſito naturali: cùm ſit effectus alicuius Formæ indiuiduæ.

XIII.

QVamuis Formalis diſtinctio rerum ſumatur à Forma, hæc enim eſt quæ conſtituit rem in Eſſe ſpecifico, & diſtinguit: nihilominus non eſt tota quidditas rei naturalis, ſed id quod reſultat ex Materia & Forma.

XIV.

PRiuatio tertium principium generationis, ſic habet, quod ſit carentia formæ cum aptitudine ad ipſam. In recto eſt non Ens, vt loquitur

tur ly carentia. In obliquo, quia per ly Aptitudinem, connotat Materiam, est Ens reale, àqua in ratione principij distinguitur formaliter. Materialiter conueniunt.

XV.

COmpositum Physicum, nisi vniatur ex Actu & potentia substantiali, non erit Ens vnum per se: Verum enimuerò vnitio hæc, quæ intercedit inter Formam & Materiam, non exercetur per illarum entitates, sed necessariò per aliquem nexum, ab vtroque distinctum: ly autem nexus, aliàs vnio, nihil est aliud, quàm Modus informationis, modus inquam substantialis, modaliter distinctus à Materia & Forma.

XVI.

COmpositum Naturale, quatenus est terminus Physicæ tantùm, non distinguitur realiter à partibus simul vnitis; sed tantùm formaliter, formalitate distinctionis rationis ratiocinatæ. Quatenus autem est terminus vnionis Metaphysicæ, realiter distinguitur à partibus vnitis inter se, vnione Physicâ; realitate includentis & inclusi.

XVII.

NAtura essentialiter definitur, quod sit Principium Motûs & quietis, eius in quo est, primò & non secundum Accidens: non est tamen principium motus vt Quod, sed vt Quo: Definitio præsens competit cælis & animæ rationali, etiam secundum gradum intelligendi. Partes subiectiuæ Naturæ, sunt Materia & Forma, qui-

bus ratio Naturæ analogicè conuenit. Quia Forma, magis est Natura quàm Materia.

XVIII.

ARs est quidem æmula Naturæ, quo ad Motum extrinsecum, sed penitùs differunt in attributis, ideo Ars effectus Naturales nec vt causa principalis, nec vt instrumentalis potest attingere.

XIX.

CAusa. Est id ad cuius esse sequitur aliud. Quadrupliciter in Materialem Formalem Efficientem & Finalem diuiditur, adæquatè quidem sed analogicè, nec in species infimas. Porrò omnis causa causans in Actu secundo, est prior suo effectu prioritate naturæ à qua, non in Qua. Nisi fortè materialiter accepta. Estq; nobilior suo effectu si spectetur ratio causandi, ac communicandi esse vniuersaliter, & si fuerit causa per se, ac principalis.

XX.

MAteria & Forma causant per suas substantiales entitates, non per aliquid superadditum. Causalitas vtriusque est vnio. hoc discrimine: quia vnio quatenus se tenet ex parte Materiæ, est causalitas Materiæ, quâ mediante causatur Forma Materialis: quatenus verò in alio genere causæ, tenet se ex parte Formæ, eius est causalitas, quâ mediante Forma causat. Nam cùm vnio sit vinculum Materiæ & Formæ, ab vtraque dependet, estque vtriusque causalitas in diuerso genere causæ.

XXI. Idea

XXI.

IDea, siue Causa exemplaris, quæ Est Forma quædam obiecta intellectui, intra ipsum existens, ad quam artifex aspiciens operatur. ad Causam Formalem reducitur. Causalitas eius consistit in imitatione passiuâ, seu formatione rei ab Extra, secundùm exemplar ad Intra.

XXII.

CAusa efficiens Est id, vnde primò incipit Motus & quies. Causalitatem suam fundat in agere, seu in dare esse rei effectiuè, quatenus efficiens constituitur in actu secundo, quo formaliter & intrinsecè agens agere dicitur, qui Actus est relatiuus, relatione transcendentali, ad passionem inferendam passo.

XXIII.

FOrma substantialis in efficiente est quidem radicale principium producendi substantiã, sed non immediatum. Opus enim habet potentijs & accidentibus, vt instrumentis datis ad agendum. sine vllo influxu substantiæ in accidentia, siue illa sint principium vitale, siue vitalitatis expertia.

XXIV.

INstrumentum in tantum agit in quantum mouetur à principali causa, ideoque recipit in se aliquam vim à principali. Vt autem concurrat ad actionem efficientis, requirit aliquid actionis præuiæ & propriæ.

XXV.

NAtura agit propter finem, sed non propter vnum, nec eodem modo agit in omnibus.

Monſtrum materialiter ſumptum intenditur à natura, formaliter minimè. Cauſatur autem ex ijſdem cauſis ex quibus dependent res naturales. Videlicet Efficiente, Continente, & Materia.

XXVI.

Finis, Cuius gratia aliquid fit, eſt vera cauſa realis. Ratio formalis motiua in cauſa Finali, eſt bonitas realis ipſius finis. Apprehenſio verò talis bonitatis, eſt conditio ſine qua non. Cauſalitas finis, Eſt motio Metaphorica, quæ conſiſtit in Actu voluntatis, quatenus propter finem elicitur.

XXVII.

Cauſa prima, cauſam ſecundam ita præmouet ad agendum, vt abſq; concurſu actuali immediato Cauſæ primæ, non poſſit operari. Deus enim concurrit immediatè ad omnes effectus non ſolùm immediatione virtutis, ſed etiã ſuppoſiti. At enimuerò concurſus primæ Cauſæ ſiue præmotio, non intelligitur cum impoſitione neceſſitatis, (quomodo Hæretici ſumunt præmotionem, qui dicunt non ſponte, malè vel benè agere, ſed quia præmouetur à cauſa prima. Contra quos Concilium Tridentinũ *Seß. 6. Can. 4.* ſic de motione præuia definit. Illa poſita, adhuc eſſe in poteſtate voluntatis non conſentire. Neq; hoc eſt contra efficaciam diuinæ motionis, ſed ex ſapientia, Prouidentia, & voluntate primi Motoris, qui quando vult etiam efficaciter facit vt voluntas infallibiliter conſentiat. Si quis ergo dixerit hominem motum à Deo non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit.) ſed ſumitur præ-

motio

motio legitimè pro motu ad operandum conuenienti Naturæ quæ præmouetur, vt si Natura sit libera, libertate saluâ præmoueatur. Si agens necessarium præmoueatur vt agat necessariò.

XXVIII.

DVæ Causæ totales principales eiusdem ordinis & generis, nec simul, nec diuisim, eundem numero effectum producere possunt, idque tam viribus Naturæ, quàm supernaturaliter.

XXIX.

VNa & eadem Causa efficiens Naturalis, proxima ac immediata immediatione suppositi, eodem modo se habens, & agens in idem subiectum eodem modo dispositum : non potest non idem agere, seu non potest facere contraria, Causa verò tam Materialis, quàm Finalis possunt causare opposita.

XXX.

CAsus & Fortuna, sunt Causæ per Accidens in rebus Naturalibus, & optimè sic definiuntur. Casus Est causa indeterminata, & contingens istorum effectuum, qui fiunt rarò, non gratia finis, in agentibus, sine deliberatione, sed ex instinctu Naturæ. Fortuna autem Est causa per accidens horum quæ fiunt non propter hoc: Extra semper & frequenter, in non habentibus propositum, sed instinctum Naturæ.

XXXI.

FAtum, quod Est in rebus creatis dispositio infallibilis causarum secundarum per diuinam prouidentiam ad suos effectus ordinatarum. Si

actiuè sumatur importans ordinationem diuinam, est in Deo & dicitur Prouidentia, si passiuè sic in rebus, & propriè dicitur fatum. Si comparetur ad suum principium Est vnicum, si verò ad suos effectus, sunt multiplicia.

XXXII.

DIstinctio Motus, quæ Est Actus entis in potentia, secundum quod in potentia, & tam instantaneas, quæ sunt motus imperfecti, quàm successiuas comprehendit mutationes, adæquatèque diuiditur in Motum secundum Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, & vbi, tanquā genus in suas species. Vnitas specifica Motus desumitur à termino ad Quem, à quo, nec sola ratione, nec distinctione maiori reali, sed reali formali seu modali distinguitur. Vnitas Numerica motûs formaliter sumpti, requirit vnitatem Mobilis, Termini, & Temporis.

XXXIII.

COntrarietas verò Motuum tam instantaneorum, quàm successiuorum, desumitur formaliter à contrarietatibus terminorum ad Quos, Materialiter autem à Terminis à Quibus. Mobile in motu tam Physico, quàm Metaphysico non potest à se, per se, & primò moueri, sed necesse est vt omne quòd mouetur ab alio moueatur secundum illud Philosophi proclamatum axioma. Repugnatque Mobile vnum & idem, simul duobus contrarijs Motibus moueri etiam in gradibus remissis.

XXXIV,

XXXIV.

IMplicat contradictionem, dari infinitam creaturam secundum essentiam, aut infinitum multitudinis, & magnitudinis actu, aut Qualitatem intensè infinitam. Et quamuis in Continuo dentur indiuisibilia continuantia & terminantia realia, illa tamen non sunt infinita actu, sed finita in continuo, quod non constat ex indiuisibilibus seu punctis, sed ex partibus quæ per indiuisibilia tanquam per terminos copulantur & terminantur. Vnde patet, omnia viuentia & non viuentia, in via naturæ determinata esse ad maximum Quod sic, vel minimum Quod sic.

XXXV.

LOcus qui Est extrema pars corporis cōtinentis primò immobilis, omnia corpora circūscribit: Eius proprium est attrahere & conseruare locatum. Repugnatque etiam per potentiam Dei absolutam, vnum & idem corpus circumscriptiuè esse in pluribus locis. Benè tamen per eandem diuinam potentiam, duo corpora in vno & eodem loco possunt esse, licet id natura suis viribus efficere non valeat. Vacuum per nullas vires creatas dari potest: si daretur per possibile, posset moueri in illo corpus, non instanti sed in tempore.

XXXVI.

TEmpus, est ens reale extra animā. Sic audit, quod sit numerus motûs secundum prius & posterius: Formaliter & completè acceptum est tantum vnum, quod omnes res sublunares seu

E tempo-

temporales mensurat: Eius instans est vnicum extrinsecum, quod nominat Philosophus secundum Rem vnum, multiplex intrinsecum, quod idem appellat diuersum Ratione. Res successiuæ incipiunt per vltimum sui non esse, & desinunt per primum sui non esse. Res verò seu substantiæ generabiles & corruptibiles, incipiunt per primum sui esse, & desinunt per primum sui non esse. Qualitates autem materiales, quæ per motum & expulsionem contrarij inducuntur in Fieri, seu secundum gradum indeterminatum, incipiunt per vltimum sui non esse, & desinunt per vltimum sui non esse. Eædem in Facto esse, secundum gradum determinatum: incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse. Sed substantiæ immateriales, conuenienter ad suam naturam incipiunt per primum sui esse, & si desinerent, desinerent per vltimum sui esse.

XXXVII.

OPtimè intulit Aristoteles, ex illò principio: Quidquid mouetur, ab alio mouetur: Dari primum mouens, Vnum, Immobile, Æternum, Virtutis infinitæ, Præsens vbique, Intelligens, Volens, cuius intellectio est ipsius essentia, summeq; seipso beatū esse. Cui soli honor & gloria in sæcula sæculorum.